INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLI A DIE XXVIII APRILIS

INSTITUENDARUM.

BRUNSBERGAE,
TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Arii sectatores ut nefandam suam haeresim, qua Filium Dei creaturam esse contendebant, hominibus commendarent, omissis ex industria sacrae scripturae locis, quibus fidei christianae articulus de vera Filii Dei deitate aperte docetur, in ambiguis plerumque et difficilioribus locis collocabant operam ad suum praeconceptum sensum contorquendis. Eorum locorum unum vobis, Commilitones humanissimi, paucis illustratum proponimus.

Quum in epistola Colossensibus missa cap. I. v. 15. Dei Filius vocatus sit primogenitus omnis creaturae (*πρωτότοκος πάσης κτίσεως*), Ariani teste S. Athanasio haec dictitantes circumcursabant: Si omnium rerum creatarum primogenitus est, profecto ipse quoque una est e rebus creatis (c. Arian. or. II. 63).

Contra hunc ab Arianis decantatum syllogismum S. Athanasius hoc modo in aciem prodiit: „Si, inquit, etiam Verbum una esset e rebus creatis, sane Scriptura dixisset ipsum esse **aliarum** rerum creatarum primogenitum. Verum quum eloquia sacra dicant, primogenitum illum esse rerum **omnium** creatarum, evidens profecto est, Filium Dei alium esse ab omnibus creatis rebus, non autem creatum esse. Alioquin si creatus esset, ipse sui ipsius esset primogenitus.“ Atque ut exemplo dicta confirmet,

Ruben non dici inquit primogenitum omnium liberorum Jacob, sed ipsius Jacob et fratrum, ne alius a liberis Jacob esse existimetur (l. c.).

At in his sagacissimus ille contra Arianos disputator ipsa disputandi alacritate in devia abreptus esse videtur. Nam quem affert Ruben, Jacobi filium primogenitum, is certe secundum communem loquendi consuetudinem non undecim fratrum suorum primogenitus erat, sed omnium liberorum Jacobi, qui inter se et cum ipso Ruben primogenito fraternitate conjuncti erant. Eodem modo si Filius Dei primogenitus omnis creaturae vocatur, verbis illis hic sensus inesse poterit, fraternitatem aliquam intercedere inter Filium Dei et omnes res creatas. Sed quoniam fides christiana vel scriptura sacra ipsa suffragante vetet eam fraternitatem cum Arianis ita accipi, ut Filius Dei una e rebus creatis esse praedicetur, interpretis erit videre, num quam aliam Filii Dei et omnium rerum creatarum fraternitatem statuere liceat.

Quae fraternitas qualis cogitanda sit, S. Athanasius in oppugnando solum Arianorum syllogismo minime subsistens docere sategit in hunc modum ratiocinatus (l. c. 62. 63. 64).

1. Unigenitum dici, cui nulli sint fratres: primogenitum, cui sint. Jam nullo scripturarum loco Filium Dei dici primogenitum Dei, sed Unigenitum Dei (Joan. I. 14. I. Joan. IV. 9); eum igitur, unigenitum quippe, non esse ejusdem generis atque res creatas, nec tempore tantum eas praecedere.

2. Quamvis Unigenitus Filius Dei per naturam suam primogenitus esse non possit, quum propter ipsum Unigeniti nomen fratres non habeat, tamen primogenitum in multis fratribus appellari eum, quatenus singulari sua erga creatam naturam benignitate verus homo factus sit multosque sibi fratres reddiderit (Rom. VIII. 29), qui adoptione filii Dei efficiantur: primogenitum autem omnis creaturae vocari eum propter Patris in homines benignitatem, per quam non solum omnia in ipsius Verbo constituta sint (Col. I. 16), verum ipsa etiam creatura (mente non praedita)

revelationem filiorum Dei exspectet, liberanda aliquando a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. VIII. 19). — Licet vero et in hac disputatione non omnia tam solida sint, quam esse videntur, utique tamen, id quod S. Athanasius efficere voluit, Unigenitus Filius Dei homo factus non tantum cum hominibus, sed propter id ipsum, quod homo creatura est, etiam cum omnibus rebus creatis fraternitatem quandam iniit, atque hac ratione omnis creaturae primogenitus recte potest appellari, utpote ante mundum creatum aeternus Dei Filius.

Secundum vulgarem autem interpretum expositionem fraternitatis cujusdam inter Filium Dei et omnes res creatas intercedentis nostro loco nulla prorsus fit mentio, sed Filium Dei nulla alia de causa primogenitum omnis creaturae vocatum esse volunt, nisi *quod genitus sit ante mundum creatum*. Nolite putare, Commilitones, interpretes a vero nimium aberrasse, ita nimirum exponentes, ac si textu sacro exhiberetur προτερότοκος πάσης κτίσεως, quum tamen scriptum sit πρωτότοκος. Nam N[i] T[i] sermo graecus permittit, ut pro exspectanda voce πρότερος ponatur πρῶτος. Revolvatis quaeso locos Joan. I. 15. 30. XV. 18. nec non Luc. II. 2., quo postremo loco descriptio orbis romani tempore nati Domini instituta *prius* fuisse narratur, quam Quirinus Syriam procuraverit: Quirinus enim undecimo circiter anno post natum Dominum denuo Judaeam describebat (Flav. Jos. Ant. XVIII. 1. §. 1.) Quam ob rem nec ista expositio, quam interpretes plerique tuentur, temere rejicienda est.

Sed nos aliam praeterea vobis proponimus loci interpretationem, eamque fortasse magis probandam iis, quas aut S. Athanasii aut plerorumque interpretum proprias attulimus.

Qui contenderit primogenitum non posse dici, nisi cui fratres juniores sint, is sane sententiam emisit speciem quidem veri satis magnam habentem, nec tamen ipsam veram. Nam apud Hebraeos etiam solus et unicus patris filius vocatur BeKOR, quae vox graece πρωτότοκος, latine *primogenitus* ubicunque vertitur. Machir enim, qui solus filius erat Manassis

(Num. XXVI. 29 seqq.) vocatur primogenitus Manassis (Jos. XVII. 1). Unde et si Salvator noster primogenitus matris suae filius nominatur (Matth. I. 25. Luc. II. 7.), concludendum non est, post eum ex Maria alios filios natos esse.

Jam si cui uno plures filii legitimi erant, eorum natu maximus bonorum paternorum partem hereditate accepit singulorum fratrum parti duplici parem. Quae quidem pars duplex minime ex patris arbitrio, sed ex jure contigit primogenito, nisi forte propter crimen commissum hereditandi praerogativa privandus erat (Gen. XLIX. 3. 4.), aut jure suo volens cesserat (Gen. XXV. 31 seqq.). Unicus autem filius, qui et ipse primogenitus dicebatur, similiter ex jure heres erat omnium bonorum paternorum (Marc. XII. 7.)

Itaque jus civile Hebraeorum primogenitos alteros statuit, qui sint nati heredes bonorum paternorum praecipui, alteros qui sint nati heredes omnium, quae pater possederit. Jam si loco nostro Unigenitus Filius Dei vocatur primogenitus omnis creaturae, nonne forte Apostolus his verbis eum designatum voluit, qui, utpote Filius Unigenitus, est natus heres omnium, quae creata sunt? Creata enim omnia, coelum et terra, Dei creatoris sunt (Ps. LXXXIX. 12. XXIV. 1.). Quae autem Dei sunt, eadem et Unigenitus Filius Dei possidet (Joan. XVII. 10.), quippe quem constituit Deus heredem universorum (Hebr. I. 2.).

Praeter Arianorum igitur explosam loci nostri interpretationem tres vobis, Commilitones, explicationes proposuimus, quae salva fide christiana defendi possunt. Quarum quae sit probabilior, quum regulas hermeneuticas probe edocti sitis, loci contextum maxime respicientes ipsi ponderetis.

Valete.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANT. EICHHORN, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Historiam ecclesiae christianae a saecul. V usque ad saecul. VIII enarrabit quotidie hora IX—X.

II. Jus canonicum tradere perget diebus Lunae et Martis hora III—IV.

MICH. JOS. KRUEGER, Lic. P. P. O. Des.

I. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora VIII—IX.

II. Evangelium secundum Marcum synoptice explicabit diebus Martis et Jovis hora VIII—IX, et diebus Mercurii et Veneris hora III—IV.

III. Canticum Canticorum interpretabitur die Saturni hora VIII—IX.

A. MENZEL, Lic. P. P. E. Des.

I. Introductionem in Theologiam christianam catholicam tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. X—XI.

II. De Deo Creatore et de creaturae lapsu disseret diebus Veneris et Saturni h. X—XI.

III. Ultimam partem Theologiae moralis tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.

ANT. PASCHKE, Lic.

I. Prolegomena philosophica in universam Theologiam Christianam tradet bis per hebdomadem.

II. Doctrinam catholicam de Sacramento Eucharistiae e sacris novi foederis libris demonstrabit ter per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. RECTOR et DECANUS.

I. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit, et Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum tradet diebus Lunae et Jovis h. II—III.

II. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae, Mercurii et Jovis h. XI—XII.

III. Optices phaenomena explicabit experimentisque illustrabit die Mercurii hora II — III.

IV. De Climatologia, de globis igneis et stellis transvolantibus disseret, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris h. XI—XII.

CAR. BIESTER, Dr. P. P. O. Des.

I. Sophoclis Ajacem tractabit diebus Lunae et Jovis hora IX—X.

II. Thucydidem de Bello Peloponnesiaco interpretabitur diebus Martis et Veneris h. IX—X.

III. Ciceronem de natura Deorum diebus Lunae et Jovis hora III — IV.

IV. Terentii Andriam diebus Martis et Veneris hora III — IV.

V. Minutii Felicis Octavium explicabit bis per hebdomadem horis definiendis.

MAX. TRUETSCHEL, Dr. P. P. O. Des.

I. Psychologiam empiricam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora vespertina V—VI.

II. Metaphysicam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora matutina VIII—IX.

III. Aristotelis de anima libros offert interpretandos bis per hebdomadem horis definiendis.

IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet die Saturni hora VIII—IX.

FRANCISCUS BECKMANN, Dr.

I. Vitae privatae et publicae morumque et artium optimarum sive culturae, quae vocatur historiam exponere perget quater per hebdomadem hora VI—VII.

II. Poesis Graecae historiam docebit, argumenta carminum et dramatum potissimum expositurus, bis per hebdomadem hora VI—VII.

III. Res Romanorum inde ab Augusti temporibus gestas explicabit bis per hebdomadem horis commodis.

ORDO LECTIONUM CHRONOLOGICUS.

I. LECTIONES ANTEMERIDIANAE.

HORA.	LECTIONES THEOLOGICAE.	LECTIONES PHILOSOPHICAE.
VIII—IX.	Antiquitates Hebraeor. Lic. KRUEGER 3.	Metaphysica. Dr. TRUETSCHEL 5.
	Evangelium sec. Marcum. Lic. KRUEGER 2.	Exercitat. repetit. et examinat. Dr. TRUETSCHEL 1.
	Canticum Canticorum. Lic. KRUEGER 1.	
IX—X.	Historia eccles. Christ. Dr. EICHHORN 6.	Sophoclis Ajax. Dr. BIESTER 2.
		Thucydides de Bello Pelopon. Dr. BIESTER 2.
X—XI.	Introductio in Theolog. Lic. MENZEL 4.	
	De Deo Creatore, etc. Lic. MENZEL 2.	
XI—XII.		Chronologia et de Calend. Juliano et Gregoriano. Dr. FELDT 3.
		Climatologia etc. et usus instrumentor. meteorologicor. Dr. FELDT 2.

II. LECTIONES POMERIDIANAE.

HORA.	LECTIONES THEOLOGICAE.	LECTIONES PHILOSOPHICAE.
II—III.		Historia Geometriae, et Theoria general. linear. et superfic. curv. Dr. FELDT 2.
		Optices phaenomena etc. Dr. FELDT 1.
III—IV.	Evangelium sec. Marcum. Lic. KRUEGER 2.	Cicero de natura Deorum. Dr. BIESTER 2.
	Jus Canonicum. Dr. EICHHORN 2.	Terentii Andria. Dr. BIESTER 2.
	Theologia Moral. Lic. MENZEL 2.	
V—VI.		Psychologia empirica. Dr. TRUETSCHEL 4.
VI—VII.		Historia culturae. Dr. BECKMANN 4.
		Poesis graecae historia. Dr. BECKMANN 2.
Adhuc definienda	Prolegomena philosophica in univers. Theolog. Christ. Lic. PASCHKE 2.	Minutii Felicis Octavius. Dr. BIESTER 2.
		Aristotelis de anima libr. Dr. TRUETSCHEL 2.
	Doctrina cathol. de Sacramento Eucharistiae. Lic. PASCHKE 3.	Res Romanorum inde ab Augusti temporibus gestae. Dr. BECKMANN 2.